

dulum confedit: inde Clodiæ munimenta intuitus, ubi omnia sibi obsepta conspicatus est, urbem versus intendit. Hic aliquandiu classis ante portum in procinctu stetit, nec omnino rerum omnium secura; quædam leviora navigia repente portu egressa, sagittis bellicisque tormentis illi omnia infesta reddere. Sed hoc quoque loco nulla gerendæ rei occasione oblata, in Histriam Ligur abiit: tentataque Pyranensium defectione, quum nihil pacati ab oppidanis & iis qui præsidio erant, redderetur, atroci eos Ligur oppugnatione invasit. Oppidum non solum est defensum, sed cum cæde & ignominia hostis a mœnibus est repulsus. Parentium quoque per eos dies Ligusticis armis sollicitatum: sed tam hic quam ad Pyranum nuper omnes hostium conatus irriti fuere. Hinc hostis in maritimam Carnorum oram se recepit, ubi Maranensi portu triremes refarsit. Per eos dies Bebiacum præsidium est receptum, in quo expugnando aliquandiu laboratum constat. Ad sexaginta Ligustici nominis illic erant, qui strenue locum ab initio tutati sunt: demum Venetis hostium munitiones subeuntibus, ubi illi vallum rescindi viderunt, ad triginta propugnatorum, trajecto flumine, in Patavinos fines præcipiti fuga concessere: qui remanserant, post longum certamen partim cæsi, partim capti sunt. Nec deditio ab iis, qui turrim tenebant, prius facta est, quam illam incensam viderunt. Bebiis receptis, cætera præsidia & oppida, quæ in stagnis & circa flumina fuere, præter Caput aggeris (id oppidum Carrariis armis tenebatur) Venetus recepit.

In hoc statu erant res Venetæ, quum repente allatum est, Polam urbem a Genuensibus captam, magnaque ex parte incensam: quæ res effecit, ut Veneti indignitate rei commoti, cum validissima classe aliquanto citius, quam decreverant, in Histriam transferint: sub cujus adventum hostis territus (nam fama erat Venetos septem & quadraginta triremes, & cum his biremes nonnullas habere) direpta urbe, Jaderam contendit. Veneta classis ubi in provinciam venit, majorem in modum aucta est, navibus a

*Validissima  
classis in  
Histriam  
ex urbe  
transf.*